



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866**

De S. Keyna Virgine In Brechinia, Walliæ Comitatu Commentarius Prævius  
Pauca de ejus genere, sanctitatis fama et Actis annotantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

## DE S. KEYNA VIRGINE

IN BRECHINIA, WALLIÆ COMITATU

## COMMENTARIUS PRÆVIUS

Pauca de ejus genere, sanctitatis fama et Actis annotantur.

SUB FINEM  
SÆC. V. VEL  
SIT. VI.  
S. Keyna,  
virgo Bri-  
tanna.

**S**anctam Keynam, celebrem, dum apud Anglos res Catholica stetit, in Wallia, Deoque ab ineunte ætate dicatam virginem Wilsonus Martyrologio suo Anglicano anni 1640 inscripsit ad hunc diem, et sequenti, quod ex Anglico Latino facio, ornavit elogio: In Brechiniensi Walliæ comitatu depositio S. Keynæ virginis, Brechani, Brechiniæ reguli, filiæ; quæ, cum ab ineunte ætate Deo consecrata fuisset, patriam reliquit, et trans Sabrinam (fluvium, qui in Montgomerico Walliæ comitatu ortus, et agros Salopiensem, Wigoniensem et Glocestrensem pervagatus, in mare Hibernicum sese effundit) progressa, ibidem vitam egit admodum asperam deserta in silva, serpentibus scatente, quam ingredi nemo ausus fuerat: sed ejus precibus in saxa conversi sunt, serpentium adhuc formam exprimentia. Cumque ad hunc modum vixisset annis pluribus humana ope destituta, in patriam divino monitu reversa, in clivo quodam sibi tuguriolum condidit, in quo orationi assidue et abstinentiæ intenta, ac induta cilicio, reliquum vitæ cursum exegit. Proxime morituram angelus accessit, et veste candida, auroque intexta amictam ad Sponsi sui celestis regnum invitavit. Obiit annum Christi circiter quadringentesimum nonagesimum, sepultaque in eadem provincia est, in qua hodieque celebris ejus memoria. Meminit ejusdem Virginis etiam Richardus Withford, alter martyrologus Anglicanus, in Martyrologio suo, anno 1526 Londini excuso.

**C**astellanus in Martyrologio Universali sic eam annuntiat: in Anglia, S. Keyna, socrus (imo matertera) S. Cadoci.

**2** Acta ejus ex Capgravo recitat Alfordus in Annalibus ecclesiæ Britannicæ ad annum Christi 490 num. 2 et seqq., ubi illam non modo a sanctitate prædicat, sed etiam celeberrimi nominis virginem olim fuisse, ait, et etiamnum egregia factorum ejus monumenta exstare. Porro quæ ejusmodi monumenta sint, non exponit: nisi forte eorum nomine saxa intelligat, in quæ cotubros S. Keynæ precibus fuisse conversos, ipse cum aliquot aliis opinatus est: quod si ita est, num recte illa Alfordus Egregia nuncuparit, ea infra dicendis statues. Camdenus, etsi acatholicus, in Britannia illustrata, de comitatu Angliæ Somersettensi agens pag. 172, Keynam nostram Sanctissimam virginem appellat: id nominis illi pariter tribuunt Dempsterus Historiæ ecclesiasticæ gentis Scotorum lib. 10 pag. 418, et Bollandus tum in Commentario Vitæ S. Cadoci ad diem xxiv Januarii prævio tum in suis in eandem Annotatis. Idem quoque Colganus facit ad diem xi Februarii, ubi de S. Canoco Richardi Withford, supra memorati, verba Octobris Tomus IV.

Anglica partim Latine reddens sic scribit: Festum (viii Octobris) S. Keinæ virginis, quæ in Keinwira appellatur. Fuit filia S. Brechani regis Brechiniæ in Wallia, qui habuit duodecim filios, et duodecim filias: una ex his filiabus erat mater S. Davidis, et hæc virgo, alia etc.

**3** Duodecim has Brechani filias sanctitate fuisse, cultumque obtinuisse variis locis, Colganus ait, ac mox ista subjungit: At ne quispiam existimet, quæ de tanto fratrum et sororum sanctitate florentium numero adduximus, citatis tantum testimoniis, non aliis solidioribus fundamentis inniti, operæ pretium duxi, singulorum nomina et loca cultus, in quantum (neque enim hoc quantum ad singulos præstare Colganus potuit) ex probatis authoribus colligere licuit, hic subjicere. Tum de S. Keyna sic loquitur: Tertia (Brechani filia) S. Keyna virgo in regione Brechiniæ et juxta Sabrinum fluvium in Wallia longe celebris. Quibus verbis, si quid ad propositum suum Colganus agit, S. Keynam in Wallia cultum sacrum obtinuisse, indicatum voluit: at vellem, ut singularem aliquem locum expressisset. Giraldus Cambrensis, seculi xii scriptor, Itinerarii seu Descriptionis Cambriæ seu Walliæ lib. 1 cap. 2 Brechani filiarum hujusmodi mentionem facit: Erat autem antiquitus regionis illius, quæ Brecheinoc dicitur, dominator vir potens et nobilis, cui nomen Brachanus, a quo et terra Brecheinoc denominata est. De quo mihi notabile videtur, quod ipsum xxiv habuisse filias, Historiæ Britannicæ testantur, omnes a pueritia divinis deditis obsequiis, et in sanctitatis assumptæ propositam vitam feliciter terminasse. Exstant autem adhuc basilicæ per Cambriam multæ earum nominibus illustratæ: quarum una in provincia de Brecheinoc non procul a castro principali de Aberhodni in collis ejusdem vertice sita, quæ sanctæ Almedhæ ecclesia dicitur.

**4** Sed et hic, ut vides, universim tantum prædictis Brechani filiabus templa per Walliam dicata fuisse scribit, si S. Almedham excipias, quæ in Opus nostrum ad diem Augusti illata est. Comitatus Brechiniensis tabulam exhibent Joannes Spedus in Theatro Britannico post pag. 109, et Guilielmus Camdenus in Britannia illustrata post pag. 479: sed quibus Sanctis singulorum locorum ecclesiæ dicatæ fuerint, dicendo non sum: nullum equidem ibi locum reperi, cui a S. Keyna nomen sit: id tamen non facit, ut tamquam falsum haberi debeat, quod de dedicatis per Walliam S. Keynæ ejusque sororibus templis Giraldus et Colganus supra asseruerunt. Et vero in locis Sabrinæ fluvio, quem habitatione sua S. Keynam illustrasse perhibent, vicinis Sanctam

celebris ad-  
modum fuisse  
fertur.

E

F

ubi et loca  
aliquot

AUCTORE  
J. B.

hanc Virginem sacro gavisam fuisse cultu, quod Colganus ait, habeo mihi pene persuasum; quod apud Spedum et Camdenum inter Brechiniam et Sabrinam fluvium in Herefordensis et Monmuthensis comitatum confinis locum reperiam Anglice Kynechurch dictum, quasi dicas Keyne Fanum seu potius templum, ut adeo ab illa, tanquam loci patrona, sic dictus videatur; perinde ac locus Michaëlchurch in Monmuthensis comitatus finibus, non procul a priori vico dissitus; alterque item in Brechiniensi comitatu, nomine Peterchurch, a SS. Michaële et Petro nomen sortiti videntur.

ab ea no-  
men acce-  
pisse viden-  
tur.

5 Alterum locum, qui a S. Keyna nomen traxerit, reperisse se Camdenus aumat; quippe ex ejus Actis S. Keyna, relicta patria, seu Brechiniensi comitatu, trans Sabrinam fluvium vitam annis multis solitariam egit: est autem in Somersetensi Angliæ ducatu ad lævam Sabrinæ fluvii (ad cujus dexteram Brechinia sita est) ripam oppidum paulum Bristolio dissitum, ad Aconam fluvium, quod Angli sermone vernaculo Keynsham seu Canesham dicunt, quod idem valet ac Keyne habitatio, a Saxonico vocabulo Ham, habitatio, villa vicusve. Secundum eundem Avonam, inquit, (qui hic limes est inter hunc et Gloucestresem agrum) in Occidentali ripa Cainsham cernitur, a Keina Britannica virgine sanctissima denominata, quam serpentes in lapides mutasse superioris ævi credulitas multis persuasit; eo quod ejusmodi naturæ ludentis miracula ibi in latomiis nonnumquam inveniuntur. Hac de re infra sermo recurret: interim vero, si vera est Camdeni de oppido Keynsham, a S. Keyna sic appellato, opinio, alterum id suggeret, cultus sacri olim in Anglia S. Keine exhibiti, ejusque non modo apud Walliæ, sed aliarum etiam provinciarum Anglicarum celebritatis, argumentum; addamque prædictis locis Walliæ vicum Keynsham (quamquam ibi habitasse S. Keyna non legatur) ad fluvium Lug in comitatu Herefordensi, qua hic Radnoriensem attingit. Hæc de cultu S. Keine.

Secundum  
ejus Acta,  
fidei non  
magnæ, ge-  
nere præcla-  
ro nata

6 Quod ad ejus Acta et res gestas pertinet, haud opus est multa de his dicere: quisquis enim ea vel levi oculo perlegerit, prout apud Capgravium exstant, ex quo infra recudentur, facile perspiciet, fidei haud magnæ ea esse, nec antiqua; imo ex vulgi tantum traditione conscripta. Hinc factum, ut alii 24 filias, alii, quibus tantus filiarum iisdem parentibus genitarum numerus parum visus sit verosimilis, 12 filios, ac totidem filias adscripserint: decem ejus fratrum nomina refert Colganus ad diem XI Februarii ex lib. 4, cap. 76 Ængussii Keledei, auctoris longe vetustioris, ut ait, quippe qui seculo VIII floruit, ut scribit, ad diem X Martii pag. 579. E sororibus S. Keyne idem Colganus tres enumerat pag. 313. Gladusam seu Gladum, Gundlei regis (de quo vide dicta ad diem XXIX Martii in Opere nostro) uxor, matrem vero S. Cadoci; Melariam, S. Davidis, Menevensis episcopi (de quo vide diem I Martii) matrem; et Carenniam. Quartæ, Tyduaël dictæ, meminit Alfordus ad annum 490 num. 7. Brechanum seu Brachanum, Brechinie, cui nomen ipse dedit, principem seu regulum, S. Keyne patrem fuisse, consentiunt, quos vidi, auctores omnes. Hunc Brachæ, regio in Hibernia sanguine nati, filium Colganus facit, atque eo, ut opinor, titulo omnes Brechani seu Brachani proles Hiberniæ Sanctis annumerat. Contra Dempste-

rus num. 2 laudatus S. Keynam Scotiæ Sanctis annumerat, quod credibile sibi visum fuerit, illam esse e genere illius Scoti Keiani, qui, ut Nennius apud Camdenum habet (vide pagg. 499 et 504) Silures et Dimetas sive Glamorganshire et Caermardenshire (Walliæ provinciæ sunt) imperio obtinuerat.

7 Altera parens, inquit Alfordus prociue citatus num. 8, horum filiorum (de S. Keyna ejusque fratribus ac sororibus loquitur) fuit Marcella, filia Theodorici, filii Tehphalti reguli de Garthmatrin: sed S. Keyne aviam cum ejus matre confundere videntur: Marcellam enim Brachæ, Brechani patri, nuplam scribit Colganus post Davidem Prælum in Annotatis ad cap. 2 in Itinerarium Giraldi Cambrensis apud Camdenum. Brechani autem uxorem apud Colganum Ængussius Dinam, regis vel ducis Saxonum filiam, nuncupat. Sed horum omnium, de quibus nihil nobis satis certi aut probati est, fides sit penes auctores; quos vis, quibus forte rerum Anglicarum potiora ad manum sunt monumenta, vel refutandos, vel defendendos relinquimus. Porro, ut ex Actis mox subjiciendis videre est, S. Keyna cum a teneris seipsam Deo vorisset, capta dein solitudinis desiderio, patriosque lares deserens silvam trans Sabrinam fluvium plurimum annorum curriculo incoluisse, vitamque in ea durasse fertur sanctam perinde austeram. Ubi locorum ea silva exstiterit, tacent Acta: Camdenus, ut diximus supra, silam fuisse conjicit circa oppidum, hodie Keynsham: quod vero de serpentibus S. Keyne præcibus in saxa ibidem conuersis aiant, etsi mirabilem in Sanctis suis Deus fateamur, non nisi ex traditione populari profectum arbitror, nec id sine auctoritate magis idonea ausim asserere, quidquid sit de repertis eo loci saxis, serpentium formam exhibentibus; nam insoliti hujusmodi naturæ fetus non raro etiam alibi inveniuntur.

8 Idem censeo de ejus in patriam reditu, divinitus nimirum facto, angelisque, qui prociue morituræ apparuerint. Sepulta est in Brechinia (quo loco, nusquam reperi) patria sua, a S. Cadoco, suo ex sorore Glado nepote. Floruit hic tempore Arturi, Britonum regis, quem Westmonasteriensis anno 516 regem inauguratum scribit: atque hinc forte Castellanus ut S. Cadoco, ita S. Keyne, et ejus materteræ, quam vitiose soerum ejus (Belle mære Gallice) vocat, seculum VI adscripsit: Alfordus ad annum 490, ut dixi supra, de ea agit; ut adeo sub finem seculi VII sequentis initium ex humanis ad superos concessisse videatur; annus vero singularis, quod id contigerit, in oculo versetur.

## VITA

### Ex Capgravo fol. cciv verso.

Beata enim Keyna virgo de regali prosapia in Occidentali parte Majoris Britannie oriunda exstitit. Cujus pater, rex Bregheocensium a, nomine Braganus erat. Fuerunt autem regi illi filiuduodecim et filiae totidem b: omnes Deo placentes et vite sanctæ. Primogenitus ejus erat sanctus Canochus e: primogenita filia Gladus, mater sancti Cadoci d: secunda Melari, mater

mater Sancti patris David, Menevensis archiepiscopi *e*. Ceteris vero propter proximitatem omissis *f*, ad beatam Keynam stilum convertimus. Antequam enim nasceretur, mater ejus in visione vidit sinum suum mirra et balsamo plenum et mammillas suas celesti lumine radiantes: vidit et niveam se pro prole peperisse columbam *g*. Cum vero enixam Filiam mater diligenter educaret, mira quedam spiritualis gratiæ venustas in facie Virginis apparebat; ita ut quandoque sicut nix, quandoque sicut solaris claritas refulgeret. Cumque ad annos nobiles pervenisset, et multi nobiles eam in conjugium affectarent; Virgo sancta, virilem copulam omnino recusans, virginitatem suam perpetuo voto Domino consecravit. Ob hoc enim, quæ prius KEYNA vocabatur, postea Britanniæ « KEYN WIR » id est, « Keyn virgo » dicta est.

*in solitudinem abiit, ubi serpentes in saxa convertit:*  
*h*  
*e*  
*h*

2 Proposuit tandem patriam deserere et locum desertum *h*, ubi contemplationi vacaret, querere, et, arrepto itinere, ultra Sabrinam *i* veniens, reperit quibusdam locis silvestribus, a rege *k* illius provincie solitudinem illam, in qua Deo servire posset, expetiit: cui, quod petiit, hilariter se concessurum, respondit, nisi quia locus ille tanta serpentium multitudine repletur, quod tam hominibus, quam jumentis et feris inhabitabilis extitisset. Virgo vero constanter respondit, se confidere in adjutorio Altissimi et in ejus nomine se velle et posse omnem virulentam multitudinem effugare. Concesso igitur Virgini loco, ad solitas preces se prostravit et omnia illa mox genimina viperarum mortificata in lapidum duritiem commutavit. Lapidum enim usque hodie imaginem serpentinum expriment per campos et vicos, quasi arte lathomi sculperentur *l*. Elapsis autem multis annis, cum fama sancte Virginis ubique divulgata esset, et visitatis multis, oratorio multa construxisset, S. Cadocus montem S. Michaëlis *m* peregrinationis gratia visitans, S. Keynam, materteram suam, ibidem reperit et magno repletus gaudio, cum illam ad terram propriam reducere vellet, a populo terræ permissus non est.

*inde in patriam rediit,*

3 Admonitione demum angelica Virgo sancta ad patriam suam rediens in quodam monticulo ad radices ejusdem montis magni habitationem sibi faciens, fusa ad Deum prece, fontem de terra produxit, qui multis infirmitatibus meritis Virginis sanctæ salutem præbuit. Cum autem, Spiritu sancto revelante, dies consummationis ejus appropinquaret, vidit in visione noctis columpnam quasi igneam usque ad lectuli ejus pavementum descendere: in nudo enim pavimento ramusculis arborum superjectis dormire solebat. Et angeli duo sibi apparebant; quorum alter reverenter ad illam accedens, cilicium, quo induebatur, leviter exiit: et casula bissina una cum tunica coccinea, cum clamide quoque auro contexta decenter illam ornans dixit: Parata esto et veni nobiscum, ut introducamus te in regnum Patris tui.

*ibique non sine prodigiis mortitur*

4 Quæ, cum præ gaudio flens angelos sequi vellet, evigilans sensit, corpus suum febribus aggravari et finem suum imminere, accitque sancto Cadoco ait, Locus iste est, quem præ cete-

ris diligo, hic erit memoria mea: locum hunc sæpius in spiritu, si licuerit visitabo: licebit autem, quia Dominus hunc mihi locum jure hereditario possidendum concessit. Futurum est autem, quod locus iste inhabitabitur a gente peccatrice: quam ego violenter ab hiis sedibus extirpabo, jacebitque tumulus meus multis diebus incognitus, donec veniant alii, quos ego precibus meis huc adducam, protegam et defendam, et in hoc loco benedicetur nomen Domini in æternum *n*. Et cum anima a corpore egredi festinaret; vidit ante se angelicum exercitum, intra cœli palatium sine metu et periculo animam illius cum gaudio suscipere paratum. Quod cum adstantibus indicasset, sancta illa anima corpore soluta est octavo Idus Octobris *o*. Quæ, cum egrederetur a corpore, subrisit sancta facies ipsius, roseum induens colorem, tantaque suavitatis fragrantia ex corpore virgineo procedebat, quod omnes, qui aderant, se cum ipsa putarent in paradisi gloria collocatos. Sepelivit autem eam sanctus Cadocus in oratorio suo, ubi in sancta conversatione multis annis vitam artissimam et Deo placentem duxit.

## ANNOTATA.

a Brechinia, Anglice Bretnok, Walliæ comitatus est, cujus olim dominus, creditur fuisse S. Keynæ pater, Brechanus nomine, a quo et ipsi regioni nomen inditum putant.

b *Alibi, licet minus recte, dicitur genuisse filias* 24.

c *Agit de eo Colganus ad diem xi Februarii.*

d De S. Cadoco actum est in Opere nostro ad diem xxv Januarii, ubi et de ejus matre mentio fit. Vide etiam dicta de S. Gundleo, ejus patre tom. 3 Martii pag. 783.

e *Consule tom. 1 Martii a pag. 38, ubi S. Davidis Acta illustrata reperies: illic ejus mater, quæ forte binominis fuit, Nonna vocatur.*

f *Inter filias fuit S. Almedha, de qua actum est apud nos ad diem 1 Augusti.*

g *Cum hæc Acta antiqua non sint, et ex vulgari tantum traditione conscripta, multum fidei nec his, nec ceteris, quæ præterea continent, prodigiis vindicant.*

h *Habitasse illam circa oppidum Keynsham in agro Somerseltensi haud procul Bristolio conficit ex nominis significatione Camdenus, locum illum Keynæ habitationem interpretatus. De vicis Keynsham et Kynechurch vide dicta num. 5 Comment. prævii.*

i *Fluminis hujus ortum cursumque vide num. 1 Comment. prævii.*

k *Intellige, dominum principem.*

l *Ita scilicet habet traditio popularis.*

m *In Normannia sex passuum millibus ab Avrincensi urbe: Monasterium S. Michaëlis in periculo maris, vel Michaëlis in monte Tumba, ubi 16 Octobris præcipua sancti archangeli veneratio est, nunc appellatur. Ex Annotatis in Acta S. Cadoci tom. 2 Januarii pag. 605.*

n *Quis sit ille locus, et quid istud prophetiæ genus sibi velit, nusquam explicatum reperi.*

o *Sub finem seculi v. vel sequentis initium.*